



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XXIX. Vtrum gratia sacramentalis incipiat esse in instanti?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

demeritoriè remissionem eorum, & reditum gratiæ; cæterum in ratione indispositionis nihil variant. Quia quoduis peccatum lethale remouet à Deo totaliter, quātuncumque gratiā destruit, & ad quantulumcumque indisponit omnino, absque discrimine quoad gradus. Vnde maiori peccatori difficilius, sed non minor confertur gratia cæteris paribus, vndeque ea proueniat. At dispositio bona potest esse maior, & minor; atque ad maiorem, & minorem gratiam. Quia non quouis accessus ad Deum coniungit cum ipso totaliter, nec totam gratiam inducit.

Ad 3. Sacramentum Eucharistiæ confert per se plus gratiæ, quam alia sacramenta. Remissionem verò peccatorum, quam dant Baptismus, & Confessio, compensat cum excessu per maiorem vim præseruandi in posterum peccatis. Præseruatio enim est quid maius in ratione doni, quam remissio, quia remouet magis à malo. Nempe remissio non impedit quominus euenerit malum præteritum cum quo pugnat. At præseruatio impedit, ne eueniat malum futurum, cum quo pugnat. Quod si remissio certa peccatorum, quæ habetur ex vi Baptismi, & Confessionis; atque præseruatio efficax incerta, quæ habetur ex vi Eucharistiæ, dicantur se habere, tanquam excedens, & excessum; accedit nihilominus pro excessu simpliciter effectus Eucharistiæ, excessus vberioris gratiæ præsentis æquè certus.

QVÆSTIO XXVIII.

Vtrum gratia Sacramentalis differat aliquatenus à gratia non Sacramentali?

Videtur nihil differre. 1. Quia gratia sanctificans, siue habita per sacramenta, siue habita absque sacramentis, perficit vniuersaliter animam in ordine ad actus omnium virtutum. Hoc nimirum habet ex suo conceptu, vt afferat secum habitus omnium virtutum, & dona, atque auxilia actualia illis proportionata. His autem positis ponitur omnis perfectio, cuius anima est capax, & ad quam ordinantur sacramenta. Nihil igitur superest, per quod gratia sacramentalis differat à non sacramentali; aut in plus, aut in minus.

2. Omnis additio, vel subtractio in formis variat speciem, vt dicitur 8. Metaphys. text. 10. Absurdum est autem dicere, gratiam, quæ confertur per sacramenta, differre specie ab ea gratia, quæ datur absque sacramentis; præsertim cum sacramenta instituta sint, vt reparetur gratia amissa per peccatum, eademque augeatur, quæ gratia collata fuerat à solo Deo immediatè, nullòque interposito sacramento. Neutra igitur gratia plus aliquid habet, vel minus, ac proinde nihil differunt inter se.

Art. 1. Respondetur. Omnia sacramenta conueniunt in significanda eadem gratia sanctificante quoad substantiam, vt apparet ex quæstione 1. differunt tamen realiter, quoad modum illam significandi. Quia aliud illam significat per modum abluentis; aliud per modum confortantis; aliud per modum nutrientis; & sic de cæteris, vt patet ex eorum materiis, & formis, & exponetur vberius circa singula sacramenta in particulari. Effectus autem sacramentorum sunt conformes significationibus eorum. Necessè igitur est, vt illi significationum diuersitati correspondeat aliqua diuersitas ex parte effectus. Nulla verò diuersitas esse potest quoad dona permanentia & habitualia gratiæ. Quia vna eademque, quoad substantiam, gratia sanctificans confertur per omnia sacramenta, nihilque differens substantialiter à

gratia, quæ confertur extra sacramenta. Quia verò habitus omnium virtutum necessariò consequuntur ad gratiam sanctificantem sub eadem eius mensura, nec etiam quoad eos habitus secundum se, vllum existit discrimen specificum.

Artic. 2. Tota itaque differentia effectiua, tenens se ex parte effectus sacramentorum, reuocatur ad auxilia actualia gratiæ, penes quæ contingit esse magnam diuersitatem sub eadem intensiōe gratiæ habitualis. Quare sub eadem intensiōe gratiæ sanctificantis potest haberi, & habetur per se, ex vi vniuscuiusque sacramenti, specialis abundantia auxiliorum actualium peculiariter vtilium ad finem itidem peculiarem ad quem vnumquodque sacramentum specialiter ordinatur; atque per talium auxiliorum diuersitatem sortitur gratia habitualis cum multiplicem modum essendi, ac iuuandi animam, qui correspondet peculiari significandi modo obseruato in vnoquoque sacramento. Quæ est sententia D. Thomæ quæstione 62. art. 2. aliorumque communis, antiquatis iam opinionibus quorundam de habitu speciali ad finem cuiusque sacramenti proprium, de gratia habituali intrinsecè curatiua, nec dabili sano; necnon de qualitate purè exornatiua animi.

Art. 3. Datur alia præterea differentia gratiæ habitualis sacramentalis à non sacramentali penes effectus formales quos non præstat se sola, sed partim per se, partim per adminicula sibi extrinsecus superaddita; quatenus gratia habitualis procedens efficienter à sacramentis habet formaliter ratione coniunctionis cum eisdem, vim peculiarem salutariter consolandi, instruendi, excitandi, vt dictum est q. 11. & quæst. 24. Gratia igitur habitualis, sacramentalis est quidem eadem entitatiuè cum non sacramentali; differt tamen ab eadem extrinsecè, tum per adiuncta specialia auxilia actualia gratiæ, tum per peculiare effectus formales salutare inadaquatè præstitos per ipsam secundum se.

Ad 1. Tametsi gratia quælibet habitualis perficiat animam vniuersaliter in ordine ad actus omnium virtutum; tamen quæ sacramentalis est, seu habita per sacramenta, perficit specialiter, ac magis intense quoad aliquos actus, & præterea comminuat animæ speciales effectus formales salutare modo dicto.

Ad 2. Additio, & diminutio quoad essentialia variant speciem, sed non additio, & diminutio quoad intensiōem; & quoad extrinsecas, aut accidentalia, vt dictum est euenire in re nostra.

QVÆSTIO XXIX.

Vtrum gratia Sacramentalis incipiat esse in instanti?

Videtur non incipere in instanti. Quia non incipit imprimis in instanti terminatiuo extrinsecò sacramento, pro quo primum non est ipsum sacramentum, & ante quod immediatè fuit. Deinde nec incipit, aut idem instans extrinsecum, in alio priori instanti, pro quo primum est sacramentum, & ante quod immediatè nondum erat. Non quidem incipit esse in instanti terminatiuo extrinsecò sacramento. Primum. Quia nulla causa dat esse effectui, quando ipsa iam non existit. Deinde, quia sacramenta significant suum effectum de præsentis, vt faciliè cuius apparet per inductionem; ac proinde, pro viuificatione sui, exigunt effectum sibi coexistentem. Demum, quia inde fieret peccatorem validè, & sine obice baptiza

baptizatum, cuius vita terminaretur simul cum sacramento, posse, vel nunquam nihilominus recipere gratiam, & remissionem peccatorum atque damnari nullo deinceps commisso peccato; vel saluari, tamen si extiterit in peccato per totam vitam usque ad ultimum eius instans inclusivè. Ex quibus duobus extremis istud secundum meritò censuit intolerabile Vasquez; primum verò intolerabiliter admisit disputatione 132. cap. 4. fine. Intolerabiliter verò duplici de causa. Prima est, quia id contradicit apertè fidei promissionis diuinæ Matth. 16. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit.* Altera causa est, quia id ipsum contradicit veritati significationis sacramentalis, id est institutæ à Deo, & factæ nomine Dei. Significatur enim mundari baptizatum, & liberari à peccatis; & non solum mundandum postea, ac liberandum esse.

Neque verò potest gratia incipere esse in instanti aliquo intrinseco existentia sacramenti. Quia cum sacramentum perficiatur successivè, necesse est omnes eius partes tempore mensurari. Tempus autem secundum omnes, & quaslibet suas partes est diuisibile in infinitum; ita ut, postquamlibet partem determinatè sumptam, supersint aliæ, atque aliæ synkategorematicè infinitæ ex 6. Phys. à text. 11. Quapropter, in quamcumque demum partem totius temporis, pro quo perficitur sacramentum, dicatur incidere instans inceptionis gratiæ; necesse erit fateri superesse post ipsum alias, atque alias partes temporis, pro quibus adhuc perficitur sacramentum, & nondum est perfectum. Quod perinde est atque fateri superesse adhuc alias, atque alias partes ipsius sacramenti pertinentes ad substantiam eius, nondum proinde existentem adequatè. Incipit igitur existere gratia ex vi sacramenti nondum existente adequatè sacramento, quoad substantiam, & essentiam; id est existit effectus, antequam existat eius causa quoad suam substantiam, & essentiam. Quod planè est impossibile.

Iam recursus ad instans terminativum intrinsecum si fortè datur, est inutilis. Quia sicut punctum in continuo permanenti non facit maius; ita instans in tempore, seu continuo successivo, non facit plus durationis, ex eodem 6. Phys. ab initio. Vtrumvis autem faceret, & maius, & plus; si esset extra omnes partes diuisibiles, ut patet consideranti. Faceret enim ultra eas esse. Necesse igitur est instans terminativum, si datur, incidere in partem aliquam diuisibilem temporis, cui inest, atque cum eadem parte penetrari, seu quasi penetrari coexistendo illi. Hoc autem posito sequitur idem quod prius. Nempe ea pars temporis, inquam ponitur incidere talè instans, poterit diuidi in alias rursus partes priores, & posteriores eodem illo instanti; quandoquidem indiuisibile diuisibili, neutra ex parte, commensurari poterit adequatè. Pro prioribus autem partibus nondum erit sacramentum, quia ponitur nondum esse gratia. Pro posterioribus verò partibus iam præexistet gratia; id est existet antequam existat sacramentum adequatè.

Præterea neque id dici potest, quod nonnulli aui sunt dicere angustis nodosæ difficultatis coacti; nempe gratiam sacramentalem primum incipere, simulque sacramentum perfici terminativè, pro aliquo instanti intrinseco existentia ipsius sacramenti sumpto vagè, ac indeterminatè; pro nullo verò determinatè sumpto. Hoc inquam dici non potest, quia omne quod est in se intrinsecè à parte rei determinatè est; & per solam denominationem extrinsecam potest esse indeterminatè, vel in sua causa, vel in necessitate sui, vel in intellectu imperfecto. Est enim lumine naturæ notum quodlibet quandolibet, esse de-

terminatè, vel non esse determinatè; neque fieri potest, ut aliquid aliquando, neque sit, neque non sit in se determinatè à parte rei; & neque affirmantemque negantem; aut utrumque, vel neutrum, dicere verum.

Postremò minister sacramenti post absolutam ipsius formam, potest immediatè adiacere verbum, aut syllabam, quo destruat significationem sacramentalem, ut si dicat; *hoc est corpus meum figurativè: Ego te absolvo;* & similiter potest mutare intentionem sub finem. Ergo gratia nullo pacto potest incipere esse pro tempore, pro quo primo existit sacramentum; sed aliquanto post, interposita mora sufficiente ad interruptionem moralem. Quod tamen nec ipsum dici potest ob rationem indicatam supra aduersus Vasquez.

Art. 1. Respondetur. Terminis motus, sicut generatio, corruptio, illuminatio, est in instanti, ut dicit Commentator cum Philosopho 6. Physic. text. 25. Similiter transitus de contradictorio in contradictorium fit in instanti, ut dicit D. Thomas de veritate, q. 28. art. 9. Quia inter contradictoria non datur medium, quod tamen est essentiale cuius temporis. Denique forma inducitur in subiectum in instanti, quando, vel ipsum subiectum supponitur iam ultimo dispositum, nec superest vlla amplius resistentia ex parte eius, vel agens est infinita virtutis, ut docet idem Sanctus Doctor in præsentis quæstione 75. artic. 7. & 1. 2. 113. artic. 7. Quia mora temporis in agendo oritur ex coniunctione formæ contrariæ resistentis, ex parte subiecti, cum virtute limitata, ex parte agentis, propterea non valentis superare subito resistentiam.

Art. 2. Concurrunt autem omnia ista quatuor in re nostra. Primum enim infusio gratiæ est terminus motus, quo fit sacramentum. Deinde transitus ad ipsam gratiam est à contradictorio eius, nempe à pura priuatione, vel totius gratiæ, vel augmenti eius, idque nulla præexistente qualitate contraria physicè resistente. Rursus subiectum præsupponitur ultimo dispositum ad gratiam, saltem pro priori naturæ. Demum potentia Dei, quæ operatur per sacramenta tanquam causa principalis adequata, est virtutis simpliciter infinita. Quaduplici igitur ratione gratia sacramentalis confertur, & incipit esse in instanti. Idem iisdem rationibus dicitur circa sacramentum Eucharistiæ quoad conversionem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi; eam scilicet fieri in instanti, ut docet D. Thomas dicta q. 75. art. 7. & in 4. dist. 11. p. 1. art. 2. quæstiunc. 2.

Art. 3. Illud porro instans incidit determinatè in eam temporis partem, pro qua significatio sacramentalis ultimò completur substantialiter quoad conceptum suum essentialem, iuxta dicta supra quæst. 5. Coexistit verò eidem temporis parti positivè, licet incommensurabiliter, & inadæquatè; ad eum utique modum, quo instantia discreta motus Angelici correspondent partibus motus continui corporalis, ut docet D. Thomas 1. p. q. 53. art. 3. & in 1. dist. 37. q. 4. art. 3. & quo communiter dicitur partem plani tangi à globo.

Art. 4. Neque verò admittendum propterea est, post tale instans, superesse adhuc necessariò partes aliquas pertinentes ad substantiam, ac essentiam sacramenti. Quia licet partes continui sint infinitæ in potentia, ut docet, & multipliciter demonstrat Philosophus toto libro 6. physic. sunt tamen finitæ actu, sicut totum ipsum continuum est finitum actu; nec oppositum huius habetur uspiam apud Philosophum. Instans autem infusionis, & inceptions gratiæ correspondet, & coexistit actu parti postremæ substantiali sacramenti, quæ datur actu; & tantum possibiliter partibus quæ sunt in potentia. Unde nulla pars

pars sacramenti existit de facto licet posset existere post instans inceptionis gratiæ; quæ pars pertinet ad substantiam, & essentiam sacramenti.

Art. 5. Iam quod, post eam partem ultimam completam significationis sacramentalis quoad substantiam, ac essentiam eius, superueniat intentio contraria ministri, aut superaddatur syllabæ, seu verbum corruptivæ significationis naturalis; nihil nocet valori sacramenti. Idonea namque intentione perseverante usque ad prolationem syllabæ, seu partis ultimæ completis positione substantiam, ac essentiam significationis, iam sacramentum adequatè perfectum erit; nec postea factum infectum fieri vilo pacto poterit. Quapropter quicquid deinde subsequetur, esto possit causare equivocationem, atque deformare significationem sacramentalem, vix, ut appareat an ipsa sit; nullitatem tamen inducere, & gratiæ subsequitionem impedire nequaquam poterit. Quia totum id erit per accidens respectu præcedentium. Confirmatur consideratione contractus purè naturalis non annullabilis in conscientia ratione alicuius purè consequentis ad ea, quibus ipse adequatè constituitur positivè. Ex his patet ad rationem dubitandi. Conceduntur nimirum, & benè concludunt, quæ non contradicant iis quæ modo dicta sunt. Quæ verò contradicuntur ex ipsâ soluta sufficienter manent. Nec expedit longiora in præsentem moram facere circa trias continuas, de quibus dictum est in Philosophia, ubi etiam fufius probata, & exposita sunt, quæ hic breviter insinuatæ fuere.

QVÆSTIO XXX.

Virum Sacramenta fide suscepta conferant gratiam recedente postea fictione; possintque valida esse, & informia.

Videtur neutrum contingere posse. 1. Quia omnia sacramenta significant gratiam determinatè, ac præcisè de præsentem. Ergò si de præsentem illam non conferant, significatio erit falsa; ac proinde sacramentum erit nullum, nec vniquam quidquam præstare poterit.

2. Verba Eucharistica directæ ad fatinam, vel vvas non efficiunt postea conversionem in corpus, & sanguinem Christi, confecto inde pane, aut vino. Ergò reliqua sacramenta directæ ad subiectum indispositum non conferunt postea gratiam superueniente dispositione, suntque nulla ab initio. Tenet consequentia, quia utrobique est eadem proportionalis significatio, & virtus; ac proinde, & nullitatis ratio est eadem utrobique.

3. Opus bonum elicitum à peccatore est mortuum, nec vivificatur ad meritum per subsequenter iustificationem. Ergò sacramentum ab homine indisposito est similiter mortuum, ac nullum, nec potest inducere gratiam ob subsequenter postea dispositionem.

4. Ex communi sententia Theologorum ferè omnium, adversus Caietanum, & Petrum de Soto, est aliquod sacramentum non conferens gratiam recedente fictione, cum qua susceptum fuit. Ergò idem dicendum est vniuersaliter de omnibus sacramentis. Nulla nimirum ratio discriminis assignari potest quoad hoc inter vnum aliquod, & aliud quodvis sacramentum. Idem dicitur suo modo de coniunctione valoris cum informatate.

Art. 1. Respondetur. Sacramentum fide, seu cum obice susceptum dicitur, quod suscipitur absque dispositione sufficienti ad gratiam, tunc recipiendam, cum perficitur sacramentum. Recessus fictionis, &

R.P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

ablatio obicis dicitur positio eius dispositionis. Sacramentum validum est, quod quantum est ex se potest conferre gratiam: informe, quod de facto illam non confert. Certum est apud omnes aliqua sacramenta valida, simulque informia esse posse. Sacramenta enim imprimentia characterem; nempe Baptismus, Confirmatio, & Ordo, & præterea Matrimonium, suscepta à peccatore, nec contrito, nec attrito. Immo, & ab actualiter peccante, ideoque suscepta cum obice gratiæ, & informia, sunt nihilominus certissime valida, nec permittitur ab Ecclesia, ut iterentur tanquam invalida propter indispositionem ad gratiam, cum susciperentur. Hæc eadem quatuor sacramenta fide suscepta, recedente postea fictione conferunt gratiam.

Art. 2. Ratio quod utrumque est. Quia hæc quatuor sacramenta sunt inductiva cuiusdam formæ non exigentis imprimis tantam dispositionem, quantam exigat gratia, ideoque communicabilis subiecto, quin communicetur gratia; ac deinde ordinantis permanentem, & intrinsecè ad finem, ad quem ex natura rei est necessaria gratia, ideoque inducentis gratiam ex natura rei, si non adit impedimentum, quatenus ordinatio diuina ad finem, cum sit essentialiter sapiens, ex natura rei est subministratiua mediocrum ad finem, si non adit impedimentum ex parte ipsius ordinati ad finem. Probatur facile assumptum per sufficientem partium enumerationem, & per designationem talis formæ respectu vniuersalique ex dictis quatuor sacramentis.

Art. 3. Primum enim eiusmodi forma, respectu sacramenti Matrimonij, est obligatio vitæ socialis ordinans coniugatos ad mutuam iuuamem spirituale, tum pro fine cuiusque ultimo, tum pro bono communi, & augmento reipublicæ, & Ecclesiæ per dignos Cives & Filios. In reliquis deinde tribus sacramentis eadem forma est character ordinans; qui est Baptismi, ad opera digna filij Ecclesiæ; qui est Confirmationis, ad militiam spirituales pro fide fortiter gerendam; qui est Ordinis ad ducatum spirituales cæteris utiliter præstandum. Patet enim verò istas formas esse minoris perfectionis, quam sit gratia habitualis, ideoque non requiri, ad eas dispositionem tam perfectam, ac requiritur ad gratiam habituales. Patet similiter ad prædictos fines esse necessariam gratiam habituales, mediante qua, & non aliter proueniunt ex sacramentis auxilia actualia specialia gratiæ, de quibus dictum est supra quæst. 27.

Art. 4. Possunt igitur quatuor ista sacramenta valere ad conferendum aliquem suum effectum proprium subiecto indisposito ad gratiam, ideoque quin conferant gratiam. Eaque propter valida simul, & informia esse possunt. Quia verò talis effectus est forma intrinsecè permanens, & exigitiua gratiæ ex sua natura, ut liquet ex modo prælati, ea certissime inducitur, ex vi eiusdem sacramenti, ex quo idem effectus processit quandoque ablatum fuerit impedimentum ex subiecto. Quo argumento vtitur D. Thom. in hanc eandem rem cit. in sacramentum Baptismi q. 69. art. 10. Ergò eadem quatuor sacramenta fide suscepta conferunt gratiam recedente fictione.

Art. 5. Reliqua tria sacramenta Eucharistiæ consecrationis, & Extremæ vnctionis directè, & immediatè significant gratiam respectu susipientis, nec habent vllum effectum priorem gratiæ, quem illi seorsim communicare possint: Quare hæc tria sacramenta collata subiecto indisposito ad gratiam, nihil prorsus illi conferunt, nihilque efficiunt. Quia verò significatio eorum est de præsentem, & absoluta, ac præterita; dum nihil efficit, eo ipso redditur falsa. Quod autem significationem sacramenti reddit fallam, eo ipso eam reddit non sacramentalem re ipsa, & sacramentum

Ff